

De carminis Lucretiani uersibus nonnullis

Autor(en): **Müller, Conradus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum : schweizerische Zeitschrift für klassische Altertumswissenschaft = Revue suisse pour l'étude de l'antiquité classique = Rivista svizzera di filologia classica**

Band (Jahr): **32 (1975)**

Heft 1

PDF erstellt am: **05.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-25756>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

De carminis Lucretiani uersibus nonnullis

scripsit Conradus Müller Bernensis

Quaestionem de uersibus in Lucretii carmine interpolatis magnam sane atque difficilem sed a recentioribus editoribus plus aequo neglectam et iam paene obliuione obrutam nuper admodum Gerhardus Müller rursus excitauit et in hominum doctorum memoriam redegit duobus libellis editis, quorum altero Lucretii librum secundum qui est de motibus atomorum perite et diligenter enarrauit¹, altero quid uiri docti, qui post Lachmannum in Lucretio edendo et interpretando uersati sunt, de huius carminis condicione deque interpolationibus existimauissent dilucide exposuit². quibus in libellis etsi nonnulla insunt quae nobis quidem minus recta uideantur, tamen uniuersam uiri de Lucretio optime meriti rationem ualde probamus eiusdemque studia magno nobis adiumento fuisse ad huius poetae ingenium et artem penitus pernoscendam libenter et grato animo fatemur. nos quae de uersibus nonnullis disputaturi sumus, ea parua sunt nec cum illarum commentationum praestantia comparanda sed quae supplementi dumtaxat uel auctarii loco haberi uelimus.

I

In libro quinto ubi Lucretius docet cur mundus noster aeternus esse non possit, codices haec fere praebent (nam maculas quasdam perleues, quae iam pridem sublatae sunt, hic licet praetermittere):

at neque, uti docui, solido cum corpore mundi
365 *naturast, quoniam admixtumst in rebus inane,*
nec tamen est ut inane, neque autem corpora desunt,
ex infinito quae possint forte coorta
corruere hanc rerum uiolento turbine summam
aut aliam quamuis cladem inportare pericli,
370 *nec porro natura loci spatiumque profundi*
deficit, exspargi quo possint moenia mundi,
aut alia quauis possunt ui pulsa perire.

qui uersus superioribus ita respondent ut primi duo (364. 365) referantur ad uersus 352–355 (*aut quia sunt solido cum corpore cet.*), deinde prior pars tertii uersus (366 *nec tamen est ut inane*) ad uersus 356–358 (*aut ideo durare aetatem posse per omnem, plagarum quia sunt expertia, sicut inane est, cet.*) respiciat, tum

1 *Die Darstellung der Kinetik bei Lukrez* (Berolini 1959).

2 *Die Problematik des Lucretztextes seit Lachmann*. *Philologus* 102 (1958) 247–283; 103 (1959) 53–86.

eiusdem uersus pars posterior cum tribus insequentibus (366 *neque autem corpora desunt* et quae sequuntur usque ad 369 *pericli*) ad alteram partem uersus 362 una cum proximo (*neque corpora sunt quae possint incidere et ualida dissoluere plaga*), deinde uersus tertius ab ultimo et paenultimus (370. 371) pertineant ad uersum 359 et sequentes duo et dimidiatum (*aut etiam quia nulla loci fit copia circum* et quae sequuntur usque ad 362 *dissiliant*). ultimus autem uersus (372) non habet in superioribus quo possit referri, neque ulla alia uis est praeter corporum ex infinito spatio irruentium qua huius moenia mundi pulsa dissolui possint; qua de re cum poeta paulo ante a uersu 366 (inde a *neque autem corpora desunt*) usque ad 369 dixisset, nihil erat causae cur duobus de spatio quo mundus *expargi* dissiparique posset uersibus interiectis (370. 371) illuc reuerteretur. ergo hunc uersum *aut alia quauis possunt ui pulsa perire* non modo superuacaneum sed etiam absurdum esse apparet, quoniam si Epicuri decretis fidem habemus, nulla alia uis quae hunc mundum pulsu dissolutura sit cogitari potest praeter eam quam poeta modo significauit (366–369), id est atomorum infinitis ictibus extrinsecus pulsantium et compagem mundi labefactantium. quarum *externis plagis* fore ut moenia mundi senescentis aliquando *expugnata* darent *labem putrisque ruinas* Lucretius iam extremo libro secundo (1140 sqq.) docuerat. necesse est igitur fateri hoc uersu quid significetur satis intellegi non posse.

Ad illud maximum huius uersus uitium, obscuritatem dico sententiae prauitatemque, alia quaedam accedunt, quae etsi singula per se spectata non ita magni sunt momenti, tamen uniuersa fraudis suspicionem ex aliis indiciis conceptam confirmare et augere possunt. quae breuiter significare satis habebō. quis enim non sentit quam mire langueat hic uersus cuius prior pars (*aut alia quauis*) ad uerbum ex uersu 369 petita sit, altera autem ex communibus parumque definitis uocibus constet? deinde non satis apte cum duobus qui praecedunt uersibus hic ultimus in unam coire orationem uidetur, immo sententiae plenae et absolutae inutiliter et incommode adiectus est. quam offensionem ut lenirent, Itali nescioqui *possint* scripserunt pro *possunt*³; qua mutatione orationem paulo concinniore fieri, sententiam ipsam nihil adiuuari apertum est. denique huius argumenti tam accurate expositi conclusique concinnitati elaboratae et ordini perspicuo officit ille uersus in fine laxae adhaerescens qui aliam uim nescioquam, qua mundus pulsus perire possit, nimis obscure significat; quae uis qualiscumque est, certe ab huius argumenti filo ac tenore omnino aliena est.

Quoniam explicauimus cur hic uersus a Lucretio scriptus esse non possit, reliquum est ut quaeramus quid consilii secutus sit ille qui eum addiderit. atque a poeta quidem cur quid scriptum esse non possit, certa plerumque ratione demonstrari potest, dummodo iter disputandi et argumentandi simplex ac rectum et planum, quo itinere ille legentes solet ducere, attente persequamur: tum enim

³ *possint* habent P, Mon., Wakefieldii tres Britannici, itemque uetustiores editiones quae mihi praesto sunt omnes (Bononiensis 1511, Iuntina 1512, Gryphiana 1546, Lambiniana 1570); *possunt* C b (in LFAB quid scriptum sit, nec Martinus nec Buechnerus adnotauit).

ea quae aliena manu inserta sunt tantum non sua sponte se prodent atque ipsa fraudem patefacient, ut quae uariis modis natiuo carminis nitore officiant cum aut perspicuitatem argumentationis imminuant aut connexionem sententiarum rumpant aut orationem aptam accuratamque faciant deteriore. interpolator uero homo angusti et peruersi ingenii cur additamenta sua a ratione poetae saepe alienissima inseruerit, est ubi non facile intellegas. quod hoc quoque loco qui nunc in manibus est usu uenit. nam uersum *aut alia quauis possunt ui pulsa perire* Lucretii non esse manifestum est, at interpolator quid sibi uoluerit cum eum uersum adderet, mihi quidem non satis apparere fateor, nisi quod suspicor illum non contentum eo quod moenia mundi simpliciter *exspargi* dicerentur, hic quoque plagae (363) uel pulsus mundum dissoluturi mentionem desiderasse eamque ut inferret hunc uersum addidisse. uerum de interpolatoris consilio quidquid existimabitur, illud quidem exploratissimum est, uersum 372 a Lucretio alienum esse, quippe qui ipso argumenti tenore respuatur.

Haec quae exposuimus idonea esse speramus quae fidem faciant non temere nec sine causa nos uersum inutilem, quem iam pridem Bruno manu interpolatrici insertum esse perspexit (cf. annalium a Bursiano editorum uol. 2 [1873] 1100), uncis damnatoriis circumdandum esse censere.

II

Molestam et peruersam interpolatoris diligentiam laborantis ut sententiam per se satis dilucidam legentibus etiam magis perspicuam faciat inculcetque, facile agnoscimus in libri quinti uersu 1006 *improba nauigii ratio tum caeca iacebat*, quo id quod poeta modo praeclaris et omni uerborum ornatu nitentibus uersibus dixit (1000–1005), homines antiquissimos nauigationis expertes fuisse, ieiune et exiliter iteratur. atque hunc uersum nisi aliquo uinculo cum superioribus conecteretur prorsus inutilem et superuacaneum esse olim Itali quidam animaduerterunt, qui ei uitio ita mederi conati sunt ut pro *tum* scriberent *cum*. quod qui fecerunt, certe ob eam rem laudandi sunt quod orationem non satis concinnam esse senserunt; ex quo intellegi potest quantum illi et sermonis Latini scientia et iudicii elegantia praestiterint iis Lucretii editoribus recentibus quos in tradita huius uersus scriptura nihil offenderet. legitur autem illud *cum* et in b et in impressis uetustissimis (Brix. Ver. Ven.).

Uerum tamen frustra fuerunt qui hunc locum tam facili et paene nulla mutatione correxisse sibi uidebantur. in naeuo enim curando occupati, intra cutem quid subesset uulneris non uiderunt. quis autem grammaticos illius aetatis qua linguarum litterarumque antiquarum studia modo efflorescere coeperant accuset quod multa ignorauerint quae iis qui hodie philologos se profitentur ignorare iam non licet? quamquam quosdam qui Lucretium nuper ediderunt ne ea quidem ignorare pudet quae Lachmannus in commentario accuratissime docuit. etenim non solum *nauigii* forma genetiui recentior et inaudita Lucretio

interpolatorem coarguit sed etiam usus loquendi nouicius qui in *naugii* uocabulo pro nauigatione posito apparet; cuius significationis exempla nulla reperiri ante Marci imperatoris aetatem Lachmannus recte monuit⁴. haec recentioris originis indicia cum tam aperta sint tamque manifesta, tamen nec Diels nec Bailey nec Martin nec Buechner uersum adulterinum reiecit. sed illos editores patientissimos nihil fraudis suspicatos esse non admodum miror, miror Munronem uirum bene cordatum, cum intolerabilem uersum fortiter corrigendo tolerabilem reddere conaretur, non sensisse se laterem lauare. is enim partim sua partim aliena usus coniectura uersum sic edidit mutatum: *improba naucleri ratio cum caeca iacebat*. in quibus *cum* Italis, ut modo diximus, debetur, *naucleri* autem Munronis commentum est ualde ineptum, quod frustra ille argutiis nescioquibus palaeographicis commendare studet. nam etsi offensio quam et forma *naugii* et eius uocabuli significatio habet tollitur et *tum* in *cum* mutato sententiarum cohaerentiae consulitur, tamen et *naucleri ratio* pro nauigandi arte, si modo dici potest, tam mire dicitur ut Lucretio non debeat tribui, et uersu inerti inutiliter addito concinna orationis structura membrorumque pulchra aequabilitas turbatur euertiturque. unus autem ex recentibus hic magnopere laudandus est Ernout, qui solus praeter consuetudinem sapere ausus sit eumque uersum Lachmanno obtemperans ut insitium notauerit.

III

In quarti libri particula ea qua Lucretius explicat *qui fiat uti passus proferre queamus, cum uolumus*, haec leguntur:

881 *dico animo nostro primum simulacra meandi
accidere atque animum pulsare, ut diximus ante.
inde uoluntas fit: neque enim facere incipit ullam
rem quisquam, quam mens prouidit quid uelit ante.*

885 *id quod prouidet, illius rei constat imago.
ergo animus cum sese ita commouet ut uelit ire
inque gredi, ferit extemplo quae in corpore toto,
per membra atque artus, animai dissita uis est;
et facilest factu, quoniam coniuncta tenetur.*

890 *inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota
paulatim moles protruditur atque mouetur.*

hi uersus, quos non sine causa adscripsimus integros, plani et perspicui sunt praeter quintum (885), in quo interpretando docti haerent. cuius uersus quae sit sententia si animo a praeiudicata opinione libero exquirimus, eo uidemur adduci ut hoc significari putemus, illius rei quam mens prouideat extare (esse) imaginem: 'das was der Geist vorhersieht, davon existiert ein Bild'. ita haec Bocke-

⁴ Dictys qui fertur in Bello Troiano *naugium* pro nauigatione quinquies dixit (1, 5; 2, 4, 10; 5, 16; 6, 9), nauigationis autem uocabulo omnino abstinuit.

müller in commentario a. 1874 edito primus ut uidetur interpretatus est, qui tamen et hunc uersum et primum tertiumque coniecturis deprauauit inutilibus. uerum si hanc accipimus interpretationem, quam ipsa uerborum uerba simplici et natia commendari existimamus, tum hoc uersu nihil contineri uidetur quod non ex iis quattuor uersibus qui praecedunt (881–884) facile intellegatur. ibi enim poeta docet simulacris ad animum accidentibus eumque pulsantibus excitari uoluntatem, neque quemquam ad ullam rem faciendam aggredi antequam animo eam quam facere uelit rem prouiderit. ex quo quiuis potest intellegere, eius rei quam mens prouideat, imaginem praesto esse. itaque ne hic de quo agimus uersus plane inanis et inutilis uideretur, quippe qui nihil nisi rem cum sua sponte satis perspicuam tum a poeta antea (722 sqq.) expositam adferret, Munro hanc interpretandi excogitauit rationem ut *quod* coniunctionem esse diceret, non pronomen, sententiamque ita fere explicaret: ‘quod (mens) prouidet id (quod uelit), (hoc fit quod) illius rei est imago’. fatemur interpretationem tam laboriosam atque contortam nobis minime adridere, arbitramurque Munronem, cuius doctrinam in Lucretii carmine enarrando spectatam sane quam magni facimus, hic interpretandi artificiis in uerba poetae intulisse quae ipse inesse cuperet. neque hercle ea sententia quam uerbis extorsit inuitis, nobis tanto digna molimento uidetur. itaque Munronis argutias missas facimus, quamquam uel Giussanius uir inprimis acuti et elegantis ingenii eas assensu suo comprobauit, et ea interpretatione acquiescendum esse existimamus quam supra posuimus; quae a Baileio quoque recte praefertur, neque aliam ex illis uerbis putamus elici posse sententiam, nisi si quis uim adhibere non reformidet.

Ergo ille uersus nihil aliud nisi id ipsum quod modo didicimus non satis dilucide repetit, imaginem extare eius rei quam mens prouideat. quodsi poeta illis quattuor uersibus quibus significauit animo imaginum incursione pulsato uoluntatem nasci, explanationem subiungere uoluit, eam non sic concipere debebat ut eius rei quam quis mente prouideret imaginem extare diceret, sed hoc modo potius ut declararet imaginum incursione opus esse ut mens aliquid prouidere id est de aliqua re agenda cogitare posset. itaque negari non potest illum uersum ad rem explanandam parum adpositum esse. mitto quod Lucretius eiusmodi explanationes non ἀσυνδέτως adicere sed per *nam, enim, quippe, scilicet* rite adnectere solet. at non praetereundum est aliud quo is uersus laborat incommodum; quod ut patefaciamus, primum uniuersam sententiam loci supra adscripti breuiter comprehensam considerabimus uersu 885 tantisper seposito. poeta inde a uersu 881 hoc docet, quattuor quasi gradibus serie se excipientibus continua fieri ut ad ambulandi motum perueniatur: *primum* animus simulacris meandi accidentibus pulsatur; *inde uoluntas fit*, hoc est deinde consilium eundi oritur, scilicet animus simulacrorum incursione pulsatus iam *sese ita commouet ut uelit ire* (886); tum animus sese commouens *ferit extemplo* animam, hoc est motum suum cum anima communicat; denique anima *proporro corpus ferit* et mouet. haec autem rerum series continuatione orationis aptissima exponitur,

nisi quod uersu 885 interposito sententiarum conexio rumpitur. nam *ergo* (886) legentes ad illa *inde uoluntas fit* reuocat; quod facillime fit quia haec quae interiecta sunt uerba *neque enim facere incipit ullam rem quisquam, quam mens prouidit quid uelit ante*, et ipsa de uoluntate eiusque cum animo necessitudine agunt. sed hanc expositionis uno tenore decurrentis cohaerentiam disturbat uersus 885 *id quod prouidet, illius rei constat imago*; qui uersus loco parum opportuno ingerit illud quod hic nequaquam requiritur, quidquid animus prouideat, eius rei extare imaginem. cum enim poeta de imaginibus animo perceptis inde a uersu 722 perspicue et copiose dixisset, non erat cur nunc de eadem re rursus commemoraret tam obscure et incommode aut uersu inertissimo male inserto orationis concinnitatem ipse peruerteret. quae cum ita sint, uersum inutilem et subobscurum neque ullo cum ceteris uinculo coniunctum eidem interpolatori tribuere non dubitamus quem in libro quinto (1006) ‘improbam nauigii rationem’ inculcauisse uidimus.

IV

In tertio libro a uersu 741 haec leguntur:

741 *denique cur acris uiolentia triste leonum
seminium sequitur, uolpes dolus, et fuga ceruis
a patribus datur et patrius pauor incitat artus?
et iam cetera de genere hoc cur omnia membris*

745 *ex ineunte aeuo generascunt ingenioque,
si non, certa suo quia semine seminioque
uis animi pariter crescit cum corpore quoque?
quod si immortalis foret et mutare soleret
corpora, permixtis animantes moribus essent,*

750 *effugeret canis Hyrcano de semine saepe
cornigeri incursum cerui, tremeretque per auras
aeris accipiter fugiens ueniente columba,
desiperent homines, saperent fera saecla ferarum.*

argumentum totum adscribendum duximus, quo magis forma eius atque descriptio et sententiarum ordo et continuatio perspiceretur. summam autem argumenti quo Lucretius eorum impugnat opinionem qui animos non interire sed post mortem domicilia mutantes ex aliis in alia corpora transire asseuerant, ita complecti licet: leonum genus omne saeuum et uiolentum est, uulpes dolosae sunt, cerui fugaces, itemque cetera quae cuiuslibet generis propria et praecipua sunt in quouis animali a primo ortu ingenerata existunt et adulescunt; idque non alia ex causa fit nisi quod certus quidam animus pro suo quisque semine et genere pariter cum corpore quoque crescit (741–747). quod si animi immortales essent et in alia atque alia corpora transire solerent, mores animalium certi et constantes esse non possent (748–753). hanc igitur poetae mentem esse apparet,

ex eo quod mores sui cuique animalium generi semper iidem constant nec mutantur intellegi animos non ex aliis in alia transire corpora.

Explanaui quae plana uidentur nec tamen recte intellecta sunt ab eo qui nuper id est anno 1971 Cantabrigiae Lucretii librum tertium separatim edidit commentario instructum plerumque non inuiti. sed quamuis perspicuum sit argumentum uniuersum, tamen attentius subtiliusque singula expendentem non potest non morari uersus ab initio huius particulae tertius (743), qui et sententiarum tenorem turbat et ad argumentandi rationem parum accommodatus uidetur. nam poeta exorsus quaerere cur leones semper uolentia et uulpes dolo praediti essent, continuo ad ceruos pergit, de quibus ita quaerit ut in ipsa interrogatione nescioquid subindictet explicationis: sic enim loquitur, *cur fuga ceruis a patribus datur*, id est cur cerui a patribus animum timidum et ad fugam propensum accipiunt? quae interrogatio eiusmodi est ut qui ea utatur is et quaerat cur cerui timidi fugacesque sint et simul significet ceruorum animum ad pauorem et fugam promptum a patribus tradi propagarique in posteros. atque illud quod hoc uersu dicitur, morem ceruorum proprium 'a patribus dari', per se quidem non est uituperabile; sed hoc sane mirum alicui uideatur quod illud de ceruis dicatur solis tamquam si ceruorum generi peculiare sit eosque praeter cetera animalia attingat, non dicatur de leonibus et uulpibus, quamuis eadem ratio ad omnia pertineat animalia. porro illa morum a patribus traditorum propagatio commemoratur inutiliter, neque enim uim maiorem rationi aut perspicuitatem adfert, et omnino superuacanea est, praesertim cum paulo post, cur cuiusque generis mores constanter seruentur, cum uniuerse ut omnia comprehendantur animalia tum uerbis ad totius argumenti tenorem aptissimis significetur hoc modo (746 sq.): *certa suo quia semine seminioque uis animi pariter crescit cum corpore quoque*. quae ut perbreuiter et uniuerse dicta sunt ita argumento rite concludendo satisfaciunt, nihil ut praeterea addi necesse sit; hoc enim loco poeta non id agit ut explicet quibus ex causis illa morum constantia oriatur, sed argumento a morum constantia petito utitur ut probet animum pariter cum corpore crescere, non aliunde in corpus immigrare; quo argumento doctrinam de animorum transitione funditus apparet euertere. nihil autem ad hoc argumentum interest quo pacto fiat ut mores et cetera quae cuiusque generis propria sunt constanter seruentur, neque erat cur ea de re hic accuratius dissereretur aut morum a patribus traditorum inculcarentur mentio qua ratiocinationis iter impediretur. uerum esto: concedamus poetam hic semel praeter consuetudinem admiscuisse quod ad rationem concludendam minime opus esset quoque ipsa argumentatio de recta uia quasi in deuerticulum deduceretur: illud tamen mirabimur, cum uersu 743 morum a patribus traditorum mentio facta sit, qui possit uersibus insequentibus rursus quaeri cur fiat ut talia *omnia membris ex ineunte aeuo generascant ingenioque*. an non est mirum eum ita quaerere qui ipse modo significauerit illa 'a patribus dari'? quae cum reputo, recte fecisse existimo illum uirum doctum, quisquis fuit, quem Lambinus ait hunc uersum 743 ut spurium

damnasse. quo uersu sublato nihil praeterea mutandum est ut omnia iam aptissima sint; nam illud quod in extremo uersu secundo (742) ratio grammatica requirit *ceruos* in utroque codice scriptum est, ex quo *ceruis* exigua sane mutatione Itali fecerunt ut uersum sequentem adnecterent. qui cum disiuncta copularent, uestigium ueri codicum fide seruatum imprudentes obscurauerunt. apparet enim uersum damnatum e genere eorum esse qui explanandi causa simpliciter interpositi sunt ita ut nullo uinculo cum poetae oratione cohaereant. (eiusdem generis sunt 5, 1006 et 4, 885, de quibus uersibus modo disputauimus, itemque 2, 923.) nec uero ab irrisore poetae aliquo hunc uersum putamus additum esse (quae Lachmanni fuit opinio Munroni quoque probata), sed ab eodem illo homine quem alibi interpretamenta similia interposuisse uidimus. in quibus nullum usquam irridendi studium apparet, immo idem in omnibus explanandi consilium simplex et rude uidemur agnoscere. uelut hoc loco ubi quaeritur cur uiolentia leones dolus uulpes fuga ceruos sequatur, ille non expectans quid Lucretius dicturus sit statim ipse respondet hoc modo 'leonibus uiolentia et dolus uulpibus *a patribus datur, et patrius pauor ceruorum incitat artus*'. dempto autem uersu spurio iam primi duo uersus (741. 742) cum uersibus 744–747 sua sponte in unam orationis complexionem aequabiliter structam coeunt ita ut responsio ad duas interrogationes binis uersibus (741. 742 et 744. 745) inclusas et *cur* particula iterata distinctas pertinens duobus uersibus 746. 747 (*si non ... quia ...*) contineatur.

V

Lucretius eum libri quinti locum quo explicat cur Centauri Scylla Chimaera alia monstra similia numquam nasci potuerint, ab his exorsus est uersibus, quos ita ut in Dielsiana editione leguntur transcripsimus:

878 *sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
esse queunt duplici natura et corpore bino*

880 *ex alienigenis membris compacta, potestas
hinc illinc partis ut non par esse potissit.
id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde.*

in uersu 881 Dielsius *partis* Lachmanni coniecturam recepit, nam in utroque codice est *paruis*. sed in reliquo uersu codices ita inter se dissident ut O *ut non sit pars* praebeat, Q *ut non sat pars*, quae deprauata esse nemo non uidet. manifesto uitio docti uariis modis mederi conati sunt, Dielsius autem Briegero auctore *ut non par* scripsit, illa uoce *sit* siue *sat* funditus sublata. atque ea quae ille con-sociatis Lachmanni et Briegeri coniecturis effecit, etsi non inepta esse fatemur, tamen probabilia esse non arbitramur. primum enim haud sane placet distinctio a Lachmanno ante *potestas* posita, qua et hoc uocabulum durissime atque ipsa orationis forma quasi refragante ab illo *compacta* diuellitur et ipsius uersus tenor ac decursus impeditur et interrumpitur. sed ex ea distinctione etiam aliud in-

commodum nascitur. nam si post *compacta* distinguimus, tum alterum sententiae per *neque ... nec* partitae membrum non iam ad Centauros referri potest sed uniuersum monstrorum similium genus significare putandum est. quod ne faciamus, ipsa poetae uerba dissuadere uidentur. quis enim cum haec leget: *sed neque Centauri fuerunt nec tempore in ullo esse queunt*, non putabit in altero quoque membro de Centauris agi? praesertim cum statim sequantur haec *duplici natura et corpore bino*, quibus uerbis quibus Centauros designari existimabit, neque aliter hunc uersum intellexisse uidetur Ouidius quippe qui met. 12, 503 huius Lucretiani loci memor scripserit 'in nobis [hoc est in Centauris] *duplex natura* animalia iunxit fortissima'. atque haec omnia non iam de Centauris sed omnino de monstris *ex alienigenis membris* compositis dicta esse tum demum intellegemus cum ad illud *compacta* peruenerimus, quod quoniam Lachmanniana distinctione cum *potestas* conectere prohibemur, inuiti pro neutro plurali accipere cogimur. haec cum considero, multum mihi dubitationis habere uidetur Lachmanni illa distinctio, ut uerear ne editores recentes eam non satis prudenter probarint.

Reliqua non longae indigent disputationis. nam in illa codicum scriptura *paruis* nihil est quod iure reprehendas, dummodo in duo dirimatur uocabula; quod primum nisi fallor in altera Aldina (a. 1515) factum est. neque illud *sat* quod in Q extat, ab ea sententia quam in uersu corrupto latentem dispicere nobis uidemur, tam alienum est ut abiciendum esse uideatur⁵. ergo leniore remedio usus uersum sic conformaui *hinc illinc ut non sat par uis esse potissit*. mendum quomodo ortum sit facile apparet. nimirum hic illud factum est quod alibi quoque saepe factum esse constat in codicibus, ut si qua forte a librario minus recte scripta erant, ea in margine correcta postea non eo quo debebant loco ordini uerborum insererentur. itaque cum in hoc de quo agimus uersu pro *par uis* duabus litteris omissis *pars* scriptum esset (*hinc illinc ut non sat pars esse potissit*), corrector in margine *par uis* apposuit; deinde cum codex ita correctus rursus describeretur, uocabula *par uis* e margine in alienum uersus locum inlata sunt. ut autem ostendamus quam frequens sit id genus erroris quo hunc uersum adfectum esse diximus, binorum uocabulorum syllaba intercepta in unum confusorum alia ponemus exempla quae in libro quinto et sexto animaduertimus: 6, 568 *uentis* pro *uenti uis*, 5, 133 *aruis* pro *a neruis*, 5, 1145 *uicere* pro *ui colere*, 6, 359 *seris* pro *se ueris*, 6, 708 *namque* pro *nam neque*. iam si illud *potestas*, cuius hic eandem fere significationem esse puto ac naturae uocabuli, cum *compacta* iungimus, hanc nanciscimur sententiam ut mihi quidem uidetur haud improbabilem: sed Centauri neque fuerunt neque umquam esse possunt duplici natura et bino corpore praediti, id est *potestas* uel uis ac natura quaedam ex alienigenis membris composita ut *hinc et illinc* siue ab humana parte et ab equina parte uis

5 *sit* O codicis scripturam merum librarii errorem esse eo fidentius adfirmo quod in O nonnumquam *i* littera perperam pro *a* scripta peccatum esse uideo, uelut 2, 523 *ducit* O, *ducat* Q recte; 6, 1193 *nisi* O, *nasi* Q; 6, 1234 *imittebat* O, *amittebat* Q.

non satis par et congruens esse possit (ut nulla esse possit conuenientia membrorum humanorum et equinorum ui ac natura nimis inter se discrepantium).

Uerum ipsa sententia etsi per se quidem spectata non habet quod improbetur, tamen ubi totum locum attentius considerauerimus, uersus tertius et quartus (880. 881) nobis non poterunt in suspicionem non uenire. quorum altero (881) id argumentum quo poeta inde a uersu 883 satis copiose et luculente probat Centauros esse non posse, importune praeripitur proferturque praepropere: eo enim uersu aridissimo summa totius argumenti quod poeta expositurus est breuissime comprehenditur. prior autem uersus (880) omnino inanis et superuacaneus est, nam Centaurorum ex binis corporibus constantium natura duplex superiore uersu tam plene et cumulate declaratur, nihil ut iam reliquum sit quod aut utiliter aut necessario possit addi. accedit quod *potestas* nullo genetiuo quo eius uis definiatur addito pro natura animalis positum insolentiam quandam habere uidetur, praesertim in hoc poeta qui proprias uocabulorum significationes diligentissime obseruare solet. quid multa? remotis his duobus uersibus quorum alterum inanem et suspectae significationis uocabulo infamem alterum non opportunum esse uidimus, neque ad sententiam neque ad orationem quicquam desideratur, immo uero non modo non manca fit oratio sed etiam aliquanto concinnior, nam uersus 882 percommode nullo interuallo excipit uersum 879. quin Lucretium sine mora liberamus duobus uersiculis fraudulenter additis, in quibus emendandis editores nimis diu desudarunt, eosque deicimus in Tartara taetra, ubi interpolatorem illum nefarium qui praeclarum carmen indignissime corrumpit poenas luere maximas credimus.

VI

In libro sexto Lucretius ubi rursus commemorat, id quod iam in primo exposuerat libro (346 sqq., 489 sqq.), res omnes 'raro corpore' esse, ut uoces et calor et frigus per muros penetrare aliaque id genus multa fieri soleant, cum aliis exemplis tum his utitur:

948 *frigus item transire per aes, calidumque uaporem,*
sentimus, sentimus item transire per aurum

950 *atque per argentum, cum pocula plena tenemus.*
denique per dissaepa domorum saxea uoces
peruolitant, permanat odor frigusque uaposque
ignis, qui ferri quoque uim penetrare sueil.

hi uersus etsi nihil habent obscuritatis et faciles sunt ad intellegendum, tamen qui attento eos animo perleget expendetque non poterit non offendi ea re quod poeta postquam tribus uersibus prioribus et frigus et calorem per aes per aurum per argentum transire satis uerbose dixit, interiecta deinde uocum per muros saxeos meantium et odoris mentione rursus reuertitur ad frigus et calorem, quem *ferri quoque uim penetrare* solere adfirmat. in quibus cum hoc displicet

quod frigoris calorisque per metalla transitus bis commemoratur tum illud uidetur inscitum quod aeri auro argento interuallo duorum uersuum interposito additur ferri mentio, nam id quod de illis tribus modo dictum erat ad omnia pertinere metalla nemo non intellexit. itaque qui primus illud uitii animaduertit Fridericus Neumann in commentatione de interpolationibus Lucretianis Halis Saxonum anno 1875 edita (p. 49) uersus 948–950 ipsius esse Lucretii negauit, sed cum satis accurate explicare neglexisset cur ita existimaret, editoribus scilicet non persuasit, qui eius sententiam aspernati sunt ut ne mentione quidem dignam putarent (praeter Merrillium in editione priore p. 775). ego uero quo diligentius in uersus a Neumanno damnatos inquirebam, eo magis eius iudicium mihi confirmari uidebatur. et est aliquid quod Neumannianae disputationi non inutiliter addi posse putem. de quo iam dicendum est.

Perspicuum est igitur poetam uersibus 936 sqq. nihil aliud agere nisi ut rem legentibus notam commemorando renouet eamque nonnullis exemplis, quibus maximam partem iam in primo usus est libro, adlatis confirmet. quae exempla his uersibus 942–947 et 951–953 simplici et uenusta oratione tam apte breuiter dilucideque exposuit ut nullam usquam uocem inanem aut redundan-tem, id est mero ornatui poetico aut explendis uersuum numeris, non ipsi sententiae declarandae et rerum descriptioni accuratissimae seruientem, possis inuenire. confer nunc cum iis quos indicauimus nouem uersibus illos tres a Neumanno in suspicionem uocatos. quam languidi sunt inertesque, quam inutili laborant loquacitate. an Lucretii orationem pressam et adstrictam et artificiose uariatam agnoscere uideris in illa iteratione insulsissima inanium uocum *sensimus item transire*? quid? audebisne tam inscitos uersiculos a poeta eximio scriptos esse putare? ‘at lepide et poetice addidit *cum pocula plena tenemus.*’ ain tu? mihi uero ista *pocula plena* ualde inania uidentur. cupisne cognoscere quemadmodum Lucretius illam sententiam elaturus fuerit, immo quemadmodum extulerit? lege igitur hos libri primi uersus (494 sqq.): iam intelleges quid distent aera lupinis.

*permanat calor argentum penetraleque frigus,
quando utrumque manu retinentes pocula rite
sensimus infuso lympharum rore superne.*

quam paucis uerbis quam eleganter positis efficit ut statim conuiuui imaginem cogitatione fingamus uideamurque paene uidere quemadmodum pocula impleantur *infuso lympharum rore superne*. nec sine ratione additum est *manus* uocabulum, quoniam manu sentimus uel frigus uel calorem liquoris infusi per poculum argenteum transeuntem, et bene dixit *rite* ut sollemnem conuiuiorum morem subindicaret. uidesne haec omnia prudenti consilio et arte perfecta ita instituta esse ut eius rei unde argumentum petitur imago depingatur accurata et insignita, cui nihil desit quod ad probandum conducatur, nihil adsit quod sine detrimento perspicuitatis tolli possit. ab hac autem ratione quae Lucretiani stili propria est quantum abhorrent illa nimis exilia *cum pocula plena tenemus*. quae

ut per se spectata ualde mediocria sunt ita mirum in modum frigent si cum iis conferas quae e libro primo transcripsimus. nec uero credibile est Lucretium idem illud poculorum exemplum quo antea praeclare usus erat hic tam tenuiter tamque ieiune repetiisse; qui quam studiose grata orationis uarietate adhibita cauere soleat ne eadem res bis relata legentibus taedio sit, uel ex his paucis uersibus sententia congruentibus oratione nonnihil differentibus, quos e primo et sexto libro excerptos adscribam, si eos inter se contuleris facile cognosces.

1, 348 *in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis.*

6, 942 *principio fit ut in speluncis saxa superne
sudent umore et guttis manantibus stillent.*

1, 354 *inter saepta meant uoces et clausa domorum
transuolitant.*

6, 951 *denique per dissaepa domorum saxea uoces
peruolitant.*

Sed nolo rem apertam et manifestam diutius urgere. interpolatorem autem quid sollicitauerit ut uersiculos illos plumbeos aere auro argento refertos inculcaret, in promptu est: scilicet ille cum in libro primo in disputatione consimilis argumenti (1, 490 sqq.) praeter ferrum aurum quoque et aes et argentea pocula commemorata esse uidisset, in sexto libro ferri tantum mentionem fieri noluit, sed reliqua tria e primo libro arcessita inseruit ut copiam exemplorum auget. quod cum fecit, minime se poetae consilium perspexisse ostendit: is enim ut non plane iisdem utrobique uerbis usus est sed oratione paululum uariata fastidium legentium effugit, ita ne exempla quidem eadem omnia bis ponere uoluit, uerum e libro primo alia repetiuit in sexto omisit alia, noua addidit de sudore barba pilis.

VII

In libro sexto poeta Auernorum quae dicuntur locorum naturam explanaturus de nonnullorum odorum uis graui ac noxia agit commemoratque primum (783 sqq.) arbores quasdam quarum tam grauis sit umbra ut saepe capitis doloribus adficiantur qui sub iis iaceant, deinde aliam nescioquam arborem in Helicone esse narrat quae floris odore homines necare soleat, tum a uersu 791 alios enumerat odores et exhalationes quarum uis hominibus uariis modis noceat: nidorem luminis recens extincti quem epilepticos consopire dicit, castorei odorem quo mulieres cum in menstruis sint similiter adfici adfirmat, uaporem balnei iis qui modo a cena surrexerunt saepe periculosum, carbonum uaporem cerebro grauem, odorem uini febricitantibus perniciosum, exhalationes metallorum pestiferas iis qui argenti aurique uenas sequuntur. quibus exemplis odorum halituumque grauium aut etiam perniciosorum utitur ut persuadeat in Auernis locis similem aliquam uim siue spiritum aibus mortiferum e terra emissum in

aera surgere caelumque ueneno inficere. in illa autem serie exemplorum post arboris mortiferae mentionem interiecti leguntur hi tres uersus:

788 *scilicet haec ideo terris ex omnia surgunt,
multa modis multis multarum semina rerum*

790 *quod permixta gerit tellus discretaque tradit.*

deinde continuantur exempla uersu 791 ita *nocturnumque recens extinctum lumen* ... sed illos tres uersus quos adscripsimus eo loco ubi in codicibus leguntur parum commodos esse cum Giussanius recte uidisset, eos hinc exemit et primum uersum (788) inter uersus 770 et 771 collocauit, duos autem reliquos (789. 790) post 772 interposuit. et illud quidem non inepte fecit quod uersus 788–790 ex ordine sustulit; quo facto eum et seriem exemplorum apte continuasse et orationis conexioni consuluisse manifestum est. nam uersus 791 percommode nullo interuallo aptatur uersui 787, neque uerisimile est poetam qui nil molitur inepte exemplorum continuationem inutiliter interrupisse insertis tribus uersibus minime necessariis. etenim in terra omnis generis atomos esse alias utiles ad uitam alias quae morbos et mortem adferre possent, paulo ante dixerat uersibus 770–772, neque ulla erat causa cur rursus eodem rediret et legentes commoneret *haec omnia scilicet ideo ex terris surgere quod multa modis multis multarum semina rerum permixta gereret tellus.* (his autem uerbis *haec omnia* arbores noxiae quales modo commemoratae sunt significari uidentur.)

Uerum Giussanius cum illos tres uersus (788–790) quos a loco non opportuno bene remouerat Lucretio tamen adimere nollet, eos fidenter sane ibi inseruit ubi minime locum habere possunt. hunc enim nouum ordinem uersuum arbitratu suo instituit:

769 *principio hoc dico, quod dixi saepe quoque ante,*

770 *in terra cuiusque modi rerum esse figuras;*

788 *scilicet haec ideo terris ex omnia surgunt,*

771 *multa, cibo quae sunt, uitalia, multaue, morbos*

772 *incutere et mortem quae possint adcelerare,*

789 *multa modis multis multarum semina rerum*

790 *quod permixta gerit tellus discretaque tradit.*

773 *et magis esse aliis alias animantibus aptas*

774 *res ad uitai rationem ostendimus ante ...*

quis est cui probabilis uideatur haec uersus aliunde alio transferendi et distrahendi permiscendique temeritas? nonne et illi tres uersus in alienas sedes inuitos se contrudi clamant et haec uersuum series quae illis inculcatis discerpitur et dirumpitur sibi uim fieri uociferatur? quid? uersus 788 et 789 nonne tam arte inter se apti colligatique sunt ut eos diuellere nullo pacto liceat? quid? uersus 769–776 quales codicum fide traditos accepimus nonne sententiam praebent aptam et perspicuam et oratione simplici ac plana qua hic poeta uti solet expressam, quam uersibus a Giussanio insertis misere deprauari apertum est? itaque Giussanium uersus quos e pristina sede eiecerat frustra commodiore loco

reponere conatum esse apparet, quippe qui illo transferendi artificio et perspicuitati sententiae et orationis simplicitati nocuerit insigniter. quid ergo est? retinebimusne illos tres uersus eo loco ubi in codicibus scripti sunt? non, opinor. nam cum reputo quam inepte illi uersus exemplorum seriei interponantur eo quidem loco ubi nulla requiritur explanatio, non possum non adsentiri Giussanio qui eos hinc sustulit, praesertim cum illa quae iis uersibus continetur explanatio circuitu quodam uerborum nihil aliud enuntiet nisi illud ipsum quod paulo supra loco suo et breuius et planius dictum est. nam quod uersu 770 legimus *in terra cuiusque modi rerum esse figuras*, id uersu 789 sq. pluribus repetitum uerbis inutiliter amplificatur ita *multa modis multis multarum semina rerum ... permixta gerit tellus*, nec noui quicquam additur praeter haec *discretaque tradit*, quae et perexigua sunt nec satis aperte dicta aut satis recte. quibus duobus uerbis perobscure significatur quare arborum naturae tam uariae sint atque diuersae, ut aliae utiles sint aliae perniciosae: ‘scilicet ideo quod tellus semina *discreta tradit*’. quod perabsurdum est: neque enim terra atomos uarias, quas permixtas continet, tradit id est suppeditat *discretas* et generatim separatas selectasque distribuit ut aliis arboribus alias atomos assignet, sed ipsae arbores atomos sibi quaeque aptas et accommodatas e terra adsumunt. nam arbores ceteraque quae gignuntur e terra simili ratione ali putandum est atque animalia, de quibus Lucretius libro secundo uersu 711 sqq. dixit *sua cuique cibis ex omnibus intus in artus corpora* discedere et recipi coniectique, reliqua quae aliena nec idonea ad alendum essent reici et expelli.

Haec cum considero, mihi persuadere non possum Lucretium tam inepte locutum esse, immo sic existimo, illos uersus iure quidem a Giussanio exterminatos esse sedibus suis nec tamen dignos esse qui alibi collocentur. quibus in uersibus idem interpolatoris ingenium agnoscere mihi uideor quod in ceteris de quibus hic disputauit additamentis apparet. quodsi quaeritur unde interpolator sua petierit, respondemus ex ipso carmine eum sumpsisse unde suos componeret uersus quos interpretandi causa Lucretianis uersibus insereret. nihil enim in eiusmodi additamentis inest quod ad intellegendam poetae sententiam necessarium sit aut quod non facile ex ipsis Lucretii uerbis effici potuerit, sed eadem quae ab illo dicta sunt repetuntur inutiliter et moleste. hoc uero quod nunc tractamus libri sexti additamentum cum interpolator fabricaretur, illa animo eius uidentur obuersata esse quae libro secundo uersu 653 sq. leguntur *quia (terra) multarum potitur primordia rerum, multa modis multis effert in lumina solis*. eum autem uersum qui illorum trium medius est, *multa modis multis multarum semina rerum*, interpolator e duobus hemistichiis quibus poeta saepius usus est conglutinavit: nam haec *multa modis multis* in initio uersus posita leguntur octies (1, 341; 2, 654; 4, 128. 165. 725. 861; 5, 792; 6, 508), illa uero *multarum semina rerum* alteram uersus partem explentia tribus inueniuntur locis (2, 677; 6, 662. 1093).